



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina
Evangelica De Meditatione mortis**

Kispenning, Henricus

Antverpiæ, 1583

Peroratio operis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46214)

PERORATIO OPERIS
EX CÆLII LACTANTII DI-
VINARVM INSTITVTIONVM
Libro VII. cap. XXVII.

SUPEREST, vt exhortemur omnes ad susci-
piendam cum vera religione sapientiam: cu-
ius vis & officium in eo vertitur, vt contem-
ptis terrestribus, & abiectis erroribus, quibus antea
tenebamur, fragilibus seruientes & fragilia concu-
piscentes, ad æterna cælestis Thesauri præmia diri-
gamur. Quæ vt capere possimus: quam primum o-
mittenda sunt huius præsentis vitæ illicitibiles volu-
ptates: quæ animas hominum perniciosissima suavi-
tate delinunt. Quanta felicitas existimanda est: sub-
tractum his labibus terræ, proficisci ad illum æquif-
simum Iudicem, Parentemq. indulgentissimum:
qui pro laboribus requiem, pro morte vitam, pro
tenebris claritatem, pro terrenis ac breuibus bo-
nis, æterna ac cælestia largiatur? cum qua mer-
cede acerbitates ac miseriæ, quas perpetimur in
hoc mundo, facientes opera iustitiæ, conferri & co-
æquari nullo modo possunt. Et quanto quisque an-
nis in senectutem vergentibus, appropinquate cer-
nit illum diem, quo sit ei ex hac vitâ demigrandum:
cogitet quàm purus abscedat, quàm innocens ad
Iudicem veniat: non vt faciunt, quorum cæcis men-
tibus lux negatur, qui iam deficientibus corporis
viribus, in hoc admonetur instantis vltimæ necessi-
tatis, vt cupidius, vt ardentius hauriendis libidini-
bus intendant. Quæ ex voragine liberet se quisque
dum licet: dum facultas adest: seque ad Deum tota
mente

Rom. 8.

mente conuertat: vt illū diem securus expectet, quo
 Præses Dominusque mundi Deus, de singulorum
 factis, cogitationibusque iudicabit. Quæcunq. hic
 expetuntur, nō modò negligat, sed & fugiat, potio-
 remque animā suam iudicet, quā bona ista fallacia,
 quorū incerta & caduca possessio est. Migrant enim
 quotidie: & multò velocius exeunt quā intraue-
 rant. Et tamen, si nobis vsque ad vltimum licet istis
 frui: aliis certè relinquenda sunt. Nihil nobiscū fer-
 re possumus: nisi vitam bene atq. innocenter actam.
 Ille ad Deum copiosus, ille opulentus adueniet, cui
 astabunt continentia, misericordia, patientia, chari-
 tas, fides. Hæc est hæreditas nostra: quæ nec eripi
 cuiquam, nec transferri ad alium potest. Nemo di-
 uitiis, nemo fascibus, nemo etiam Regia potestate
 confidat: immortalem ista non faciunt. Nam qui-
 cunq. rationem hominis abiecerit, ac præsentia se-
 cutus in humum seipsum prostrauerit: tanquam de-
 sertor Domini, & Imperatoris, & Patris sui, punie-
 tur. Intendamus ergo Iustitiæ, quæ nos inseparabi-
 lis comes, ad Deum sola perducet: & dum spiritus
 hos regit artus, infatigabilem militiam Deo milite-
 mus: stationes, vigiliasq. celebremus: congregiamur
 cum hoste, quem nouimus, fortiter: vt victores, ac
 deuicto aduersario triumphantes, præmiū virtutis,
 quod ipse promisit, à Domino cōsequamur, AMEN.

FINIS.

HIERONYMVS AD PAMMACHIVM.

*Qui inimicus est, etiā in scirpo nodum quarit: Amio-
 om, praua quoque recta indicat.*